

Johann Heinrich Benjamin Fortlage

**De Occasione Opere Lysippi : Brevis Expositio Qua Ad Actum Oratorium D. XXII.
Martii Ab Hora X. Ante Meridiem In Auditorio Gymnasii Senatorii Habendum
Patronos Bonarum Literarum ... invitat**

Osnabrugi: Typis Kisslingianis, 1820

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1745757325>

Druck Freier  Zugang



G
1095

S. c. 1095.

XVIII. 16. 19. 9

DE
OCCASIONE
OPERE LYSIPPI.

BREVIS EXPOSITIO

QUA AD
ACTUM ORATORIUM

D. XXII. MARTII AB HORA X. ANTE MERIDIEM

IN
AUDITORIO GYMNASII SENATORII

HABENDUM
PATRONOS BONARUM LITERARUM

ET
FAUTORES GRAVISSIMOS SPECTATISSIMOSQUE
OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA INVITAT

J. H. B. FORTLAGE,

P. D. ET AA. LL. M.

GYMNASII RECTOR.

OSNABRUGI,

TIPIIS KISSLINGIANIS,

MDCCCXX.

Handwritten numbers: 17. 2. 1111

DE
OCCASIONE
OPERE LYSIPPI

BREVIS EXPOSITIO

QUAE AD

ACTUM ORATORIUM

D. XXII. MARTII AB HORA X. ANTE MERIDIEM



AUDITORIO

PATRONOS HONORARIOS

FAVTORES GRAVISSIMOS SPEDITISSIMOSQUE

QUAE QUAE PAR EST OBSERVANTIA INVENTA

J. H. B. FORTLAGE

R. D. M. A. L. M.

GYMNASII RECTOR

OSNABRUGI.

TRINIS MENSIBUS


MDCCXX.

Quemadmodum in omnibus rebus bene et feliciter peragendis plurimum refert, non intelligere solum, quid factu opus sit, sed circumspicere etiam res et artes, quibus tanquam causis id, quod faciendum est, optime efficiatur: ita prudentissimus quisque in rebus susceptis aut suscipiendis praesertim id cavere studet, ne opportunitas rei bene gerendae e manu dimittatur. Saepius enim fit, ut res fortuita, fors inopinata, bona fortuna, aut felix rerum concentus ejusmodi auxilia atque adjumenta offerat, quibus celeriter adhibendis et promte exsequendis finem, ad quem pervenire studeas, facile obtinere possis. Qui ejusmodi opportunum agendi tempus negligit, is fero sapiens esse solet, et magno cum molestiae sensu experiri, sua ipsius culpa accidisse, ut bona spe excideret, minimeque id, quod vellet, consequeretur. Qui vero intelligens est opportuni temporis et loci, et in rebus agendis eam curam et vigilantiam adhibet, ut ex iis, quae consilium ac propositum secundare aut accelerare possint,

possint, nihil a se dimissum aut dilatum esse velit, is felicem rei
 successum tum adjuvari tum maturari laeto animo videt, et for-
 tunam suam saepe incredibile quantum ad majora duci. Tantu n
 valet, non modo fortunam, *quae certo stare loco nescia est*, ha-
 bere laetam ac propitiam, verum etiam recte et commode ea
 uti. Hinc illud Pittaci: *Καίρῳ γινώσκει, nosce occasionem*; hinc
 multae veterum hanc in rem sententiae et praecepta. Imprimis
 historiarum scriptores hujus rei exempla et documenta prodide-
 runt tam egregia, ut, quantum prudens occasionis usus ad
 fortunam vel publicam vel privatam valeat, et quam saepe tum
 totae civitates tum singuli homines, occasione data avidaque
 capta, nunc insidias minaces casusque effugerint, nunc ad
 insigniores aliquas opes ac fortunas pervenerint, manifesto inde
 appareat.

Verumtamen non modo scriptores veteris aevi de occasione
 ejusque usu et effectu praeceperunt, sed etiam artifices, ut
 vel ex Phaedro quisque meminerit, illud temporis momentum,
 quo tanquam divinitus dato celeriter utendum sapientes viri fre-
 quenter monent, sua arte exprimendum sibi sumserunt. Ex quo
 genere nobilissima Occasionis statua, opus Lysippi, tot tantis-
 que virtutibus excellebat, ut in praestantissimis illa laudatissimis-
 que priscae artis operibus reponeretur. Quod argumentum cum

nec



nec injucundum nec hoc praefandi genere indignum esse videatur, nunc paucis exponi placeat, quali specie et habitu haec statua se oculis accedentium obtulerit, et quonam modo opportunitas rei bene gerendae, aut, ut Cicero ait, *illa pars temporis, quae habet in se alienius rei idoneam faciendi opportunitatem*, Graecis ὁ καιρός vi et nomine masculino, Latinis occasio, apud antiquos artis ope expressa fuerit, et oculis sensibusque repraesentata.

Lyfippus, clarissimus ille statuarius, Sicyone natus, idem, cui (Propert. III, 7, 9.) *gloria fuit animosa effingere signa*, a quo eodem uno, neque alio, Alexander Magnus se fingi voluit, (Horat. ep. II, 1, 239. fqq.) Lyfippus, inquam, si recte judico, primus fuit, qui Occasionis imaginem ingenio suo excogitaret, eaque corporis specie et forma amicaret, ut sensum illa et motum habere videretur, atque sic praeceptum: *capta occasionem!* etiam per oculorum sensus in phantasiam mentemque incurreret. Erat hoc nobilissimum Occasionis simulacrum aere ductum, et, ut homines de vitae officiis admoneret, in vestibulo templi Sicyonii positum, itaque in ea urbe, quae potissimum cum Corintho multa elegantiorum operum exempla et tanquam officinas pictoriae et sculptoriae artis habebat; unde tanto magis fieri poterat, ut iis, qui artium studia sequerentur, hoc Lyfippi opus per multos annos imitabile exemplum maneret: nam feriore
demum

demum tempore id Constantinopolim translatum fuisse a Cedreno traditum accepimus. (Annal. p. 265.) Qualis fuerit hujus simulacri forma et figura, jam in universum ex Posidippi epigrammate discitur, in quo tam suaviter quam ingeniose Hospes aliquis accedens et ipsa Occasionis statua colloquentes inducuntur, ita ut Occasio ipsa suae figurae vim et significationem declaret, adeoque res non tam narrari, quam potius geri, ac lectoris oculis subjici videatur. Quod epigramma ab Hugone Grotio latine redditum in gratiam eorum, qui literis graecis haud imbuti sunt, cum graeco hic addere juvat.

Τίς, πόθεν ὁ πλάσῃς; Σικυώνιος. Οὐνομα δὴ τίς;

Λύσιππος. Σὺ δέ, τίς; Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.

Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; Αἰὶ τροχάω. Τί δέ ταρσοῦς

ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; Ἴπταμ' ὑπνέμιος.

Χεῖρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ζυζόν; Ἄνδράσι δῆγμα,

ὡς ἀμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.

Ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; Ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι,

νῆ Δία. Τάξοπιθεν δ' εἰς τί φαλακρὰ πέλει;

Τὸν γὰρ ἀπαξ πτηνοῖσι παραδρέξαντά με ποσσὶν

ἔτις ἐθ' ἰμείρων δρᾶζεται ἐξόπιθεν.

Τένεχ' ὁ τεχνίτας σε διέπλασεν; Ἐνεκεν ὑμῶν,

ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

Tu quis es, hic qui stas? Occasio. Quis tibi fictor?
 Lyfippus. Cujas? De Sicyonè fatus.
 Nitere cur pedibus summis? Amo currere. Pennae
 Cur pedibus? Venti turbine rapta volo.
 In dextra cur ista novacula? Monstrat acutam
 Haec esse et ferro me magis et calybe.
 Cur in fronte coma est? Appendar ut obvia. Sed cur
 Omnis abest glabro crinis ab occipite?
 Nempe quod, eripui cum me femel alite cursu,
 Nemo erit, elapsam qui revocare queat.
 Hanc operam fictor propter vos sumferat, hospes,
 Pro monito starem semper ut ante fores.

Argumentum epigrammatis simplex est, et per se satis clarum. Singulae vero operis ipsius virtutes majorem adhuc lucem accipiunt ex veterum statuarum illustratione Callistrati, qui eandem Lyfippi Occasionem in hanc sententiam describit*): „Erat signum pueri pubescentis speciem toto corpore reddens, „pulchro ore, lanugine subnascente, coma soluta et promissa, „versus supercilia tamen et genas versa, dum occiput non nisi „pilis tectum erat, frons venusta, genae tanquam pudore, ténero,

*) Ex summi Heynii interpretat. in ejusdem Opusc. academ. Vol. V. p. 208.

„nero rubore suffusae. Inſiſtebat globo ſummis pedum alatorum
 „plantis, evolanti fimilis.“ Cum Calliſtrato, ſi a parergis diſ-
 ceſſeris, mire congruit Himerius Sophiſta (Eclog. XIV.), ex
 cujus ſententia Lyſippi Occaſio erat: „Imago pueri, forma cor-
 „poris nitida, vigore aetatis pubeſcente, comata a temporibus
 „ad frontem, calva inde verſus occiput, dextra telum tenens
 „ac laeva libram, cum plantis alatis, ita ut ſtatua ſummis pe-
 „dum digitis terram tangeret, et ſuſpenſo gradu fugere vi-
 „deretur.“

Jam primum in hoc Occaſionis ſigno placet *nitida pueri
 pubeſcentis forma*, quandoquidem quaevis opportuna occaſio ve-
 lut tenera atque effloreſcens rerum et fortunarum foboles eſt;
 tum *modestus vultus osque verecundum*, cum occaſio neque impor-
 tune ſe ingerat nolenti, neque cum ſtrepitu ſe obtrudat, ſed
 tacite magis ac latenter ſe offerat. Sic et cetera attributa aptiſſi-
 ma ſunt, et rei maxime accommodata: *coma promiſſa in fronte*,
 ut ab occurrente prehendi queat occaſio; *occiput calvum*, quia
 occaſio averſa et ſemel elapſa, quantumvis cupiatur, retrahi
 non poſſit; *pedes alati et ſuſpenſo gradu fugientes*, ad declaran-
 dam occaſionis fugitivae celeritatem; *globus in Calliſtrati deſcrip-
 tione*, ob temporum in coelo et terrarum orbe viciffitudines.
 Omnia fane egregie excogitata ad exhibendam menti occaſionis
 vim atque naturam.

Quid

Quid véro sibi vult *novacula*, qua Posidippus Lyfippicam Occasionem facit armatam? Si effet *ferrum*, quod Himerius memorat, aut telum, hoc nostri quidem saeculi sensum minus offenderet. Ut enim vi ac ferro maximae saepe difficultates tolluntur, sic interdum subitis inopinatisque occasionis objectae auxiliis atque adjumentis omnes alias ab arte humana perfectas opes multo superari intelligimus. Hac ratione ferrum, et gravius adhuc *novacula*, tanquam summa ferri acies, pro signo praevalidi roboris accipi posset. Neque tamen de hac re cogitari licet, cum Posidippus occasionem quavis acie validiorem esse verbis suis manifesto declaret. Dubium igitur non est, quin hoc attributum ex alia causa derivandum sit, et quidem ea, quae est in noto Graecorum dicendi more. Cum enim graece *occasionis acies* significet illam temporis particulam, qua res ad agendum maturae sunt et maxime opportunae; quid? quod commune Graecis proverbium esset *in novacula stare*, pro in summo discrimine esse: non mirum videri potest, si vel Lyfippus, vel Lyfippici operis imitatores aut laudatores *novaculam* etiam Occasioni dabant, ad declarandum id temporis punctum, quo rerum momenta in alterutram partem vertuntur *).

Hinc

*) Καίρη ἀμύνη — ἐπὶ ζυγῆ ἀμύνης ἐσκέλευται nota sunt. Cf. Hom. II. k. 173. Herodot. L. VI. 11. p. 443. Theocrit. Idyll. XXII, 6.

Hinc quoque Phaedrus in notissimo suo carmine (V, 8), Graecorum dicendi morem sequutus, Occasionem depingit in novacula pendente, respectu magis habito ad usum proverbialem, quam ad rem et artem, siquidem Occasio in novacula pendens vix coloribus pingi, multo minus aere aliave materia exprimi, arte repugnante, satis commode ac suaviter posset.

A ceteris, qui hujus rei mentionem faciunt, Himerius in eo adhuc discedit, quod Occasio dextra ferrum tenere perhibetur, et laeva libram. Ferrum aut telum, ut supra monui, habet, quod placere possit; libra autem minus rei convenit. In promptu enim est videre, libram magis propriam esse illius prudentiae, quae in rebus et rerum consiliis caute ac sollicitè ponderandis trutinandisque versetur, quam illius, quae objectam aliquam rei consequendae occasionem subito ac celeriter crine quasi prehendere debeat. Cum vero Himerius ipse fateatur, Occasionis effigiem, quantum meminerit, talem fuisse, qualem proponeret: recte dubitare licet, an Lysippus, hic elegantissimus artium iudex et auctor, qui, quid aptum et rei consentaneum esset, optime vidit, istius symboli auctor habendus sit; annon potius seriore tempore Lysippi imitatores, aut rhetorici laudatores ejusmodi symbolum Occasioni adfinxerint: quod posterius admodum probabile mihi quidem videtur.

Deni-

II

Denique in alio scriptore adhuc aliquid accedit, quod in ceteris non est. Jo. Tzetzes nempe (Chil. 8. et 10.) affirmat, a tergo Occasionis additum fuisse a Lyfippo enses, quos Occasio videatur cuidam porrigere, quod ab artifice adjunctum sit in gratiam Alexandri Magni saepe conquerentis, quod tempus sibi sine re praeclare gesta elaboretur. Ut Lyfippus in tanta laude et existimatione, qua eum apud regem Macedoniae fuisse legimus, praeter Occasionem Sicyone positam, aliam singularem in gratiam et honorem Alexandri effingeret, hoc fieri potuisse, vix erit, qui dubitet. Nulla tamen hujus rei mentione ab aliis facta, equidem opinari malim, signum a Tzetzta memoratum alieni generis ac consilii fuisse, et per errorem ad Occasionem translatum, aut totam rem ab ingenio aliquo rhetorico vel fictam vel exornatam; praesertim cum a Posidippi *novacula* non minus quam ab Himerii *ferro* non difficilis ad *ensem* transitus esset. Si vero Tzetzes recte judicavit, sane dubium non est, quin Alexander M. Lyfippi praeceptum diligenter tenuerit, nec solum in dissolvendo nodo Gordiano, sed etiam in multis aliis rebus dissolvendis, dirumpendisque, occasione, velut ensis acie, nimium quantum usus fuisse dicendus sit.

Ceterum, quamquam ii, quos hujus rei testes habemus, in Lyfippici operis descriptione, quod rei caput et summam attinet, satis consentiunt, nec nisi in rebus adventitiis discrepant, in hoc tamen diffensu quaeri potest: utrum Lyfippus unam solam Occasionem Sicyoniam aere fuderit, an plures variasque? De hoc autem, cum nihil certi ab idoneis scriptoribus traditum meminerim, in alterutram partem majore aliquid pondere statueri vix ausim. Plinius quidem testis est, hunc clarissimum artificem ad sexcenta decem opera effinxisse; inde tamen non efficitur, ut plures ille Occasiones, alias aliis additamentis insignes, fecerit. Certius pronuntiare licet, Lyfippi opus ab aliis nova manu novisque curis saepius fuisse repetitum; et inde facile evenisse, ut sequiores artifices primum a Lyfippo exemplar nunc hac nunc illa parte mutatum redderent; quas imagines ne mireris Lyfippi nomen subisse, cum Lyfippi Occasio, multorum ore ac laude celebrata, archetypon maneret, unde cetera simulacra nomen sibi peterent et majorem famam ac laudem.

Restat, ut de Aufonii Bardigalensis epigrammate XII. in Occasionem et Poenitentiam, pauca adjungantur, quod, cum in eadem re, de qua diximus, versetur, ut comparatio fieri possit, apponi libeat.

Cujus

Cujus opus? Phidiae: qui signum Pallados, ejus
 Quique Jovem fecit, tertia palma ego sum.
 Sum dea quae rara, et paucis *Occasio* nota.
 Quid rotulae infistis? Stare loco nequeo.
 Quid talaria habes? Volucris sum. Mercurius quae
 Fortunare solet, tardo ego, quum volui.
 Crine tegis faciem? Cognosci nolo. Sed heus tu
 Occipite calvo es. Ne tenear fugiens.
 Quae tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic, rogo, quae sis?
 Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit;
 Sum dea, quae facti non factique exigo poenas,
 Nempe ut poeniteat; sic *Metanoea* vocor.
 Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
 Haec manet; hanc retinent, quos ego praeterii.
 Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris,
 Elapsam dices me tibi de manibus.

Habemus et hic *Occasionem*, fronte capillatam, posthinc
 calvam, pedibus alatis, fugienti similem; itaque *Occasionem*
Lyfippicam, hoc est, effigiem ei adsimilatam: nam, excepta
 specie muliebri, ceterae proprietates ad *Lyfippici* operis similitu-
 dinem quam proxime accedunt. Cur *deum* in *deam* mutatum vi-
 deamus, hujus rei rationem ex latini sermonis indole proclive
 est

est intelligere. Nec dubitationem afferre debet hoc, quod Aufonius Occasionem tribuit Phidiae. Quod quam indocte factum sit, ut intelligatur, hoc unum memorasse satis erit, quod nulla fide historica constat, jam ante Lysippum a Phidia fuisse aut excogitatum aut effictum Occasionis simulacrum; imo, qui nobis hunc hoc signum memorant, ii omnes miram hujus rei inventionem et primum typum tribuunt Lysippo. Quod autem saepe accidisse videmus, ut egregia artium opera aut incerti aut minus sermone celebrati auctoris nobilissimo cuique ejusdem generis artificii adscriberentur, idem Aufonio, aut isti, quem Aufonius sequeretur, evenisse suspicandum est. Vix enim dubitare licet, quin Aufonius ex graeco aliquo exemplo, nisi Posidippi, quod minus crederes, alio tamen huic simillimo, carmen suum transtulerit, aut saltem carminis formam et colorem inde mutuatus sit. Ut Posidippus, sic quoque Aufonius Hospitem et Occasionem inducit colloquentes; nisi quod posteriori comitem dat Metanoeam. Utrum Aufonius ejusmodi statuas a se visas, aut ab alio laudatas ante oculos habuerit, an potius, quas conjunctissimas ipse mente et animo videre sibi visus sit, eas poetico more induxerit, hoc certis argumentis non liquet. Ex nostra quidem opinione poeta in carmine suo contexendo id sibi habuit propositum, ut non tam argumentum cujusdam operis arte elaborati proponere, quam utile praeceptum de occasionis usu,

usu, et quid ex ejus negligentia sequatur, dare vellet; in quem finem Metanocam apponere ei aequum videbatur. Res ipsa minime displicet; rei tractatio autem plura habet, quae minus placeant: ut lusus in voce Metanoea; rotula pro globo; frigida interpretatio comarum in fronte, et alia. Praeceptum vero egregium est, et dignissimum, quod viri quique optimi, imprimis etiam studiosissimi quique juvenes et sibi datum esse putent nempe praecceptum: *capta occasionem, ne habeas, cur tibi ipsi irascaris!* utere igitur in omnibus rebus agendis opportuno agendi tempore, nec tamen admota illa detestanda astutia, quae ad avaritiam, ad fraudes, libidines, maleficia et scelera quamvis rem fortuitam arripit, et cujus turpissima laus in malis artibus cernitur; sed adhibita illa prudentia, quae sola homine probo digna est, quae optimum quemque hortatur et monet, ut opibus ex hominum, temporum et locorum natura et conditione paratis tam commode et utiliter quam iuste et honeste utatur, ut cuique inopinatae rei, conatibus et consiliis adspiranti, sedulo invigilet, et omnes cum secundae tum adversae fortunae casus idoneis honestisque artibus ad suam et aliorum salutem et utilitatem convertat, adeoque nullam in iis, quae expetenda sunt, occasionem et opportunitatem negligat aut praetermittat.



Ne tamen nos ipsi, quod occasio nobis in manus dedit, neglexisse arguamur, nunc, cujus rei causa hoc praefati sumus, eo transendum est. Sunt nempe ex nostris alumnis octo juvenes, qui, cum proxime ad academiam Gottingensem abituri sint, jam ipsi sua ipsorum experientia edocti viderunt, et postea magis adhuc videbunt, quantam vim, uti ad feliciores in literis profectus, ita etiam ad morum vitaeque honestatem et elegantiam, habeat diligentior cura in discendi et sapiendi opportunitatibus observandis posita. Quemadmodum lubentes ac volentes auguramur et speramus, fore, ut hi juvenes carissimi, ex quibus plures, sique doctissimorum gravissimorumque virorum filii, inde ab infimis scholarum subfelliis ante nostros oculos bonis rerum studiis ingenium animumque assuescere, et sic amplissima ad futurae vitae disciplinae viatica et praesidia sibi parare studuerunt, etiam per futurum tempus continuata in optimis rebus opera et assiduitate partem laudem tueantur, et ad praestantissima quaeque contendendo atque allaborando optimum suorum studiorum successum laetissimumque suarum curarum eventum habeant: sic maxima cum animi voluptate testamur et pronuntiamus, eosdem juvenes esse dignissimos, qui ante proximum suum ad academiam transitum in optimorum civium memoriam, benevolentiam et favorem se commendent. Cujus rei copiam et facultatem dabit Actus in fronte hujus libelli indictus. Juvenes abituri et in hoc Actu publice prodituri, omnes ex primo nostrarum scholarum ordine, sunt sequentes:

FRANC. HENR. RUD. GODEFR. SERGEL, Osnabr. theol. et phil. stud.

JUST. FRID. OTTO CHRISTIANUS HEUERMANN, Schledehaufen-
fis, jur. stud.

CLAMOR HENR. THEODORUS KERKSIEG, Osnabr. theol. stud.

ALBR. ERICUS JOH. PAGENSTECHE, Osnabr. jur. stud.

GEORGIUS CHRISTIANUS GRUNER, Osnabr. theol. stud.

HERMANNUS EDUARDUS DROOP, Osnabr. medic. stud.

ARNOLDUS FRID. THORBECKE, Mellensis, Choro Symphon. huc
usque praefectus, theol. stud.

CHRISTIANUS RUD. CAROLUS VOSS, Essensis, theol. stud.

En nunc ordinem, quo illi se invicem dicendo excipient, tum
latina tum patria lingua utentes.

PARS I.

Prolog. Voss.

De templo Honoris et Virtutis. HEUERMANN.

Apostrophe an die Tonkunst. THORBECKE.

C

PARS II.

Literarum studia corporis valetudini non obesse, sed prodesse.
 Disputatio latina, EDUARDO DROOP defendente et
 GODEFRIDO SERGEL opponente.

Mein Vaterland! Kerkrieg.

Iustitiae laudes. PAGENSTECHEK.

Werth des Studiums der alten Classiker für den Theologen.
 Eine Abschiedsrede. GRUNER.

Quibus dictis et peractis, Candidati academiae, testimoniis tra-
 dendis, honeste dimittentur.


His praemissis, Patronos bonarum literarum et Fautores
 ejusque generis loci ordinis gravissimos spectatissimosque, et
 quotquot in hac urbe nostris rebus annunt et favent, eos
 omnes omni qua decet pietate et observantia oratos rogatosque
 esse volumus, ut his Sollemnibus benigne interesse, et memo-
 res

res dicti: *Excitat auditor studium, laudataque virtus crescit,*
hanc opportunam benevolentiae suae declarandae occasionem ne
praetermittere velint, et sua nobis gratissima honorificentissima-
que praesentia hunc Actum sollemnem ornare et condecorare.
Quam gratiam ita rogamus, tantoque desiderio expetimus, ut
eam tanquam jucundissimum benevolentiae pignus in summi erga
nos collati beneficii loco semper a nobis habitum iri profi-
teamur. Scripsimus Osnaburgi, d. IV. Martii. MDCCCXX.

13

res dicitur. Quod si autem, sicut dicitur, in
hunc opusculum pervenisse non debet, necesse est
praestantibus velint et sui nobis gratiam honorificentibus
que praestantibus hunc Actum tollentibus ornare et condere.
Quam gratiam in regnum, totaque doctrinae experientia, ut
cum tantummodo invidiam pervenisse signis in hunc
nos collati beneficii loco semper a nobis habent in gratia
tenent. Scribitur Osnabrugi, d. IV. MCM. MDCCCX.





FRANC. HENR. RUD. GODEFR. SERGEL, Osnabr. theol
 JUST. FRID. OTTO CHRISTIANUS HEUERMANN,
 fis, jur. stud.
 CLAMOR HENR. THEODORUS KERKSIEG, O. ud.
 ALBR. ERICUS JOH. PAGENSTECHER, Osn
 GEORGIUS CHRISTIANUS GRUNER, Osn
 HERMANNUS EDUARDUS DROOP, Osn
 ARNOLDUS FRID. THORBECKE, M. Symphon. huc
 theol. stud.
 CHRISTIANUS RUD. CAROLUS isis, theol. stud.
 En nunc ordinem, quo illi dicendo excipient, tum
 latina tum patria lingua utentes.

Prolog. Voss.

De templo Hono

Apostrophe a

HEUERMANN.

THORBECKE.

Pars II.

